

præstitum ad obseruationem dictorum capitulorum in Narbona concordatorum, quo ad præfatum dominum comitem Armeniaci uellet arctari, publice & solenniter fuit protestatus.

His autem sic peractis, præfatus archiepiscopus Mediolanensis legit quandam papyri schedulam tenoris subsequens.

Constantien.
66^{ca} in scilicet, 10.

Item domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi & alij prælati ambassiatores dominorum regum & principum, & alij in dicto concilio existentes & singulares personæ & tamquam personæ suffultæ ad hoc sufficienti potestate, iurent, prout sufficienter in dicto undecimo capitulo continetur.

Quæ prædicta omnia & singula, intelligantur & locum habeant, retento tenore omnium & singulorum capitulorum prædictorum Narbonæ concordatorum, quibus & eorum singulis dicta synodus stare intendit, nec ab eis uel eorum aliquo in toto uel in parte recedere.

Ad quæ omnia & singula dominus Ioannes episcopus Ostiensis uicecancellarius & huius sessionis præsidens præfatus, nomine totius concilij rædit per uerba, placet

Subsequenter dominus & frater Ludouicus de Valle Oleti prædictus, existens in ambone, legit schedulam sequentem.

¶ Schedula approbationis capitulorum Narbonæ, factæ per oratores regis Castellæ.

Nos Didacus Conchenensis episcopus, & Ferdinandus Petri de Ayala maior præfatus Guisputræ, serenissimi domini regis Castellæ consiliarij, Ioannes episcopus Pagensis, Martinus Ferdinandi domicellorum præfatus, Ferdinandus Martini de Clauarum Segobienensis & Didacus Ferdinandi Palætinensis ecclesiarum decani, decretorum doctores, frater Ludouicus de Valle Oleti ordinis Prædicatorum in theologia magister Parisiensis, Ioannes Ferdinandi de Rupefiore decretorum doctor, oratores & procuratores serenissimi domini Ioannis Castellæ regis ac Legionis, ac serenissimæ domine reginæ matris & nutricis eiusdem regnorum gubernatricis hic præfentes & personaliter constituti, dictis nominibus quibus ualidius & efficacius possumus, iure uidelicet, forma, modo, uia, causa, melioribus omnia & singula decreta, statuta, protestationes per sacrosanctam & generalem synodum Constantiensem nunc facta & edita, & quæ nunc sunt seriosius lecta, ipsa habentes pro sufficienter expressis & repetitis solenniter uice & nomine regis & reginæ nostrorum præfatorum omnium regnorum & terrarum suarum acceptamus, approbamus, assentimus, & solenniter affirmamus. Et similiter sicut ipsa sancta synodus protestata est, quod non uelit recedere à capitulis in dicta ciuitate Narbonensi concordatis, ita & nos dictis nominibus solenniter protestamur. Ad quæ tunc reuerendissimus pater & dominus episcopus Ostiensis huius sessionis præsidens, nomine totius synodi respondit, placet. Et consequenter præfatus archiepiscopus Mediolanensis legit decreti tenoris infra scripti.

¶ Quod non obstantibus iuramentis, sicut ab eius obedientia recedere.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata, pro bono unionis ecclesiæ sacrosanctæ autore deo felicius consummandæ considerans quod per charissimam ecclesiæ filiam Catharinam reginam illustrem charissimam ipsius ecclesiæ filij Ioannis regis Castellæ & Legionis matrem atque nutricem, regnorumque & terrarum illius gubernatricem, atque per nonnullos prælatos, barones & notabiles personas regnorum & terrarum regis præfati requisita & præstita fuerunt iuramenta & promissiones de non recedendo ab obedientia domini Petri de Luna Benedicti decimiterrij à nonnullis sic nuncupati, sub certis formis de quibus in actis & instrumentis inde confectis latius continetur. Quæ quidem acta & instrumenta & alias quascunque probationes prædictorum, præfata synodus de ipsis plene certificata